

Q.K. 368,3.

(X1882580)

430

PRINCIPATUS AVGVSTI.

II n
456

SOLENNI ORATIONE LAUDATUS,

à

IOH. GERHARDO ARNOLDO,

HISTORIARUM ET ELOQUENTIÆ PROFESSORE,


cum is

Illustris Gymnasij Durlacensis

RECTORATVM

publicè capefferet,

*A. D. 25. Mensis Maji, Anni Christiani
M DC LXVIII.*



DURLACI,

Typis HENNINGI MÜLLERI,

M DC LXVIII.



SERENISSIMIS. PRINCIPIBUS.

AC.

DOMINIS.

FRIDERICO.

MAGNO.

CAROLO.

GVSTAVO.

FRATRIBUS. GERMANIS.

MARCHIONIBUS.

BADENSIBUS. ET. HOCHBURGEN-

SIBUS. LANDGRAVIIS. SAUSENBURGENSIBUS. CO-

MITIBUS. IN. SPANHEIM. ET. EBERSTEIN. DOMINIS.

IN. ROTELN. BADEWEILER. LAHR.

ET. MAHLBERG.

DOMINIS. MEIS. CLEMENTISSIMIS.

D. D. D.

SERENISSIMI PRINCIPES,

DOMINI CLEMENTISSIMI.


AUGUSTUM vobis offero, SERENISSIMI PRINCIPES, non ea quidem, qua tantum Imperatorem decuisset eloquentia, sermonisque Majestate expressum; sed qua ob discen- tium in Illustri Gymnasio VESTRO modum, scho- lasticæque solennitatis rationem, hoc tempore licuit, brevitate, ostensum verius, quam repræsentatum. AUGUSTUM, inquam, VOBIS exhibeo CÆSA- REM, cujus excelsissimas virtutes VOSMET IPSI, pari natalium, id est, propinquo REGIBUS CÆSA- RIBUSQUE splendore coruscantes, jam dudum ani- mo & masculis gravissimorum actuum præludiis, lu-
in

culenter expressistis : Cujus Illustrissima R O M Æ,
 primæva illa Augustæi Imperii sede , monumenta,
 oculis nuper, non transcursum, sed cum certo, atque
 ubere rerum conspectarum fructu, præsentibus lustra-
 vistis. Ausus verò sum, DOMINI, adumbrare ful-
 gentissimum istud sidus, postquam clementissimo
 AUGVSTI GENITORIS VESTRI nutu
 Gymnasio moderando fui admotus, VOBISQVE
 publici juris factum consecro, non quasi dignum
 fastigio VESTRO existimem festinatum hunc ingenii
 foetum; sed ut inter solennes gratulantium mini-
 strorum civiumque adplausus, quum post geminam
 in exteras regiones profectioem salvi & incolumes
 ad oras patrias reversi estis, meam & collegarum
 universique Gymnasii contestando lætitiã, & fau-
 stissima quæque pro egregii publici incrementis au-
 gurando, devotissimi obsequii partes, si non exple-
 visse, saltem neque neglexisse videar. Cujus instituti
 pignora atque indices paginas, ut ad pedes V E-
 STR OS deponi, clementissimè patiamini, SERE-
 NISSIMI PRINCIPES, meque simul & illu-
 stre hanc bonarum artium officinam gentili be-
 nignitate porrò foveatis, ornetis, tueamini, demis-
 sissima reverentia oro atque obtestor

*SERENISSIMARUM CELSITUDINUM
 VESTRARUM*

humillimus servus

Joh. Gerhardus Arnoldus.



IOHANNES FECHT,
 SS. Theol. Licent. Sereniff. Princ. Dn. FRIDERICI,
 March. Bad. & Hachb. Ecclesiastes Aulicus, & in Illustr.
 Gymn. Sanctæ Linguæ & primæ Philof. Professor
 ordinarius,

Lecturis S. P. D.

AUGUSTÆI seculi decora plurimi sunt, qui in exemplum
 civilis felicitatis ad posteritatis memoriam sive historicâ
 narratione, sive facundæ orationis majestate transmise-
 runt. Cum C. Octavius, *Suetonio* auctore, Cæsaris primum,
 deinde Augusti appellationem, (quam *Euseb. IV. de V. C. c.*
LXIX. vocem maximæ cujusdam dignitatis plenam & celsissimi
Imperij propriam notam vocat,) alteram testamento majoris
 Avunculi, alteram *Munacii Planci* sententiâ, non novo tantum
 sed amplio etiam cognomine assumpsisset, neminem mortalium
 majoribus præsiis, quibus pondus tantorum nominum imple-
 retur, instructum à naturâ fuisse, existimatum fuit. Favebat
adolescenti mirabilis indolis, ut ejus potentia contra Antonium
 nutriretur, *Cicero*, quanquam infelici affectu, sicut *III. de Civ.*
DEI c. XXX. recenset *Maximus Ecclesiæ Doctor, Augustinus.*
 Nec ingenium Augusti disertum illum dicendi artificem fefellit.
 Nam brevi ob res pro Rep. præclarè gestas Patris Patriæ cogno-
 men repentino maximoque consensu ei delatum fuit, & ipse sin-
 gulare Cæsarum Imperium, à *Julio* tentatum, primus consti-
 tuit & ad summum maximis animi artibus deduxit fastigium.
Philo Judæus, celebris seculo primo Scriptor, Libro de Legatio-
 ne ad *Cajum*, magnitudinem Principis ijs verbis complectitur:
Quid ille, qui humanam naturam excessit omni virtutum genere,
propter eximiam potentiam, bonitatemque, primus cognominatus Au-
gustus,

gustus, non hereditariam hanc appellationem sortitus, sed novus ejus
 conditor & transmissor ad posteros? Hic est Caesar ille, qui depulsis
 procellis undiquaque ruentibus serenitatem orbi restituit. Hic est
 ille, qui solus provincias, quotquot sunt, exemit vinculis. Hic est
 ille, qui & cruenta bella sustulit & occulta latrocinia. Hic est ille,
 qui mare vacuum navibus piraticis, reddidit plenum onerarijs. Hic
 civitates universas libertate donavit, res perturbatas reduxit ad
 certum ordinem, gentes feras & abhorrentes à cæterarum commer-
 cio formavit ad mansuetudinem, societa emque hominum. Hic Græ-
 ciae longè promovit pomœria, tractus vero barbarorum opportunissimos
 mutavit in Graciam. Hic pacis custos, juris æquus moderator, gra-
 tiarum profusus largitor, omnium bonarum rerum, quamdiu vixit,
 communicator. Ecclesiastici primorum temporum Doctores
 modestiam humilitatemque in supremo tot regnorum provin-
 ciarumque imperio & pacis in rebus turbatissimis studium,
 non sine omine nascituri sub ipso pacis Domini, admirantur.
 Augustus imperij formator ne Dominum quidem dici se volebat. Et
 hoc enim DEI est cognomen, ait Apolog. adv. Gent. Tertullianus,
 verba à Philone mutuatus, qui: Nunquam sustinuit appellari se
 Deum vel Dominum, aversatus hanc adulationem, nec dissimulans
 probari sibi, qui abominarentur talia. Hieronymus verò Presb.
 Bethleem. in cap. II. Esai. Augusto, inquit, Cesare Evangelicæ
 doctrine pax Romani imperij preparata, bella omnia cessaverunt &
 nequaquam per oppida & vicos exercebantur ad prælia, sed ad agro-
 rum cultus, militibus tantum legionibusque Romanis contra barba-
 ras nationes bellandi studio delegato, quando impletus est Angelorum
 ille concentus, Gloria in excelsis DEO & in terrâ pax hominibus bo-
 nae voluntatis; & in diebus ejus orta est justitia & multitudo pacis. Ex
 tot tantisque virtutibus raro in primis in amplissimo imperio de-
 core, Augustæ pacis & quietis amore, præsidia quoque & or-
 namenta pacis, quibus Augustæum seculum effloruit, æstimari
 debent. Melito Sardensis Episcopus, cujus aliquod nobis frag-
 mentum IV. H. E. c. XXV. conservavit Eusebius, Christianæ
 fidei, quam pro more istorum temporum Philosophiam, sancto
 sensu, vocat, progressum & Rom. Imperii sub Augusto felicita-
 tem

tem conjungit. Hoc, inquit, maximum est argumentum boni exordij, quod, ex quo nostra doctrina una cum bene inchoato imperio floruit, nihil illi inde mali ab Augusti Principatu accidit, sed per contrarium cuncta splendida & gloriosa secundum omnium vota. Suetonius verò & literis artibusque atque inventis aliis ipsummet deditum fuisse & ingenia seculi sui omnibus modis fovisse tradit, quod amplius confirmat Philo, Sebastian, templum Cæsaris, porticibus, BIBLIOTHECIS, aulis, lucis, vestibulis, atriis ambulacris excultum describens. Quam verò jucundum est videre passim Augustum, eloquentiam studiaque liberalia ab ætate prima & cupidè & laboriosissimè exercere, multa varii generis prosa oratione componere, nonnulla in coetu familiarium velut in auditorio prælegere, ne Græcarum quidem disciplinarum leviori studio teneri & variâ eruditione repletum doctorum contubernia inire atque & recitare ipsummet & recitantes benignè patienterque audire? Jam verò Principem ubique tibi siste incedentem stipatum Marco Agrippâ, forti milite, & Mæcenate, secretarum cogitationum particeps; & eruditorum quadam phalange velut oppressum. Nam vel adorabant hoc Numen, dum viveret, vel ad audenda præclarissima quævis in literis facinora ejus auctoritate incitabantur, Grammatici, Ver. Flaccus, Crassitius, Scribonius, C. Jul. Hyginus, C. Melissus, Pomp. Marcellus, Rem. Palæmon, M. Val. Probus, Asc. Pedianus; Rhetores & Oratores, M. Val. Messalla, Af. Pollio, Passienus, M. Port. Latro, T. Labienus, S. J. Gallinianus, Seneca; Poëtæ, P. Virgilius, Q. Horatius, Propertius, T. Septimius, C. Severus, Ar. Fuscus, P. Ovidius, C. Manilius, Ph. Thrax, A. P. Flaccus, Lucanus, Petr. Arbiter, Dion. Alexandrinus Periegetes; Historici, Diod. Siculus, Dion. Halicarnassæus, Nic. Damascenus, Strabo, Potamo Livius, Tr. Pompejus; Philosophi, Athenodorus, Sphærus, Areus, Dionysius, Nicanor; ut Jureconsultorum nunc Medicorumque præteream nomina & eruditorum innumeros alios, quibus ætas illa exornata fuit. Hæc tanta AUGUSTÆI imperii decora, quæ in hac paginæ augustiâ per indices duntaxat consignare licuit, lato & composito

fito

sito ad plausum oculo hodie intuentur, qui R. Imperii Rectores, qui provinciarum singularum Magistratus, qui patriæ imprimis suæ patres, referre Augustum illum animo, sequi virtutes exprimere optimis saluberrimisque animadvertunt consiliis. Quamquam enim successus tam admirandos Augustæi licet animi, ubi gerendæ rei adminicula defunt, non ubique consequantur, nihilo tamen minus quicquam jucundius aut ad promovendos imperiorum fructus utilius esse nequit, quam inflammato in id studio contendere, quo procurari illi & aliquâ saltem parte, quâ licet, possideri queant. Nobis, Cives, quibus nunc ad Augustas Cæsarum domos ire non licet, suspicienda certè sunt ERNESTORUM, CAROLORUM, GEORG-FRIDERICORUM, FRIDERICORUM, Augusta nomina, qui è Profapiâ PRINCIPUM BADADURLACENSIVM à salutari Reformationis tempore iis pectora instruxerant virtutibus, quæ in amplissimos Reip. atque Ecclesiæ agros grandi sese decore diffuderunt. Quantum enim est istud, quod illustre Gymnasium (de hoc enim nunc solum nobis dicendum est) tq. bonarum artium literarumque officina, tantorum PRINCIPUM curâ in id enisum fuerit fastigium, ut & Patriæ, ex quo viros in Ecclesiam atque Remp. sibi depromeret necessarios, redderetur utile & Germaniæ propemodum universæ admirandum, cum clarissima hinc lumina acceperint, Sora *Matthiam*, Jena *Himmelium*, Argentoratum *Wegelinum* atque *Bachium*, Durlacum *Weiningerum*? non possunt autem intra hos verborum, quibus concludimur, limites enarrari maxima & admiranda posteritati in Gymnasium nostrum merita AUGUSTI seculo nostro Principis FRIDERICI, qui, quo fervore, quâ ad obtinendam nominis immortalitatem contentione, exemplo majorum, assidentibus ad Sacra & arcana consilia, sive in administranda Rep. sive regendis Ecclesiis eminentissimis ex ordine Politico & Ecclesiastico viris, (Quis enim FORSTNERORUM illustrissima nomina, quis LINSEMANNORUM, SIGWARDORUM, HEILBRONNERORUM, summas dignitates

tes & in Remp. Christianam evalescentia dudum merita igno-
ret?) hodierna Gymnasii nostri studia promotum eat, orbi jam-
pridem notum est erudito. Novo insuper documento æquis
rerum æstimatoribus sunt quotidiana excitandis Gymnasii stu-
diis curæ, viri, quem liberalis natura, quem rarum ævo nostro
decus, solida & ad vetustissimi seculi morem exacta, variaque
eruditio, quemque religiosa pietas, in partem accedere Sere-
nissimorum negotiorum iussit, *Magnifici, Amplissimique*, JOH.
CHRISTIANI KECKII, *Sereniss. Princ. FRID. Consti-*
liarij Aulici & Ecclesiastici, Dicasterij Caroloburgici Assessoris &
Gymnasii nostri Ephori gravissimi; cuius nunquam defessi pro
Scholæ tam illustri incremento labores, apud cordatos omnes,
immortalem viro laudem & nullis unquam seculis interituram
PRINCIPI famam honestissimâ operâ conciliabunt. Sed
verò hæc aliaque, DEO annuente, recensebit, cui facundior
injustissimas laudes lingua est, die Lunæ proximo, qui erit
mensis hujus XXV. horis pomeridianis, ubi ad capessendam,
cui Serenissimo nutu destinatus est, Gymnasii Rectoratum, ritu
consueto introducetur, *Vir Excellentissimus atq; Clarissimus*, Joh.
Gerh. ARNOLDUS, Historiar. & Eloquentiæ Professor,
præmissâ solenni *de Constitutione Reip. Roman. sub Augusto Impe-*
ratore, oratione. Quibus viri singularis & ad juvandas literas
nata eruditio, cum admirabili humanitate conjuncta, innotuit,
ii non possunt non eo ipsum complecti amore, ut ad audiend. ma-
citra liberalem invitationem persuasus sim confluxuros esse.
Ego verò præterea Collegarum meorum meoque nomine ad
isthoc officium, quorquot per graviora negotia ex AULA DI-
CASTERIO, CONSILIIS PRINCIPIS, URBE,
ECCLESIA ET SCHOLA, ad honorificam Gymnasio
nostro Panegyricum comparere possunt, observanter & obsequio-
sè invito. P. Durlaci, XXIII. Maii, A.O.R. MDC LXIIX.

B

PRIN:

ILLUSTRIS ET GENEROSE DOMINE: GE-
NEROSI MAXIME STRENUI: MAGNIFICE
DOMINE DIRECTOR: VIRI NOBILISSIMI,
PLURIMUM REVERENDI, AMPLISSIMI
DOMINI CONSILIARII: EXCELLENTIS-
SIMI PROFESSORES: CLARISSIMI PRÆ-
CEPTORES: VOSQUE AUDITORES OMNI-
UM ORDINUM HONORATISSIMI.

Epist. ad
Lucei.

in symmi-
etis.

Quanta sit, Auditores, historiæ omnis præstantia, quanta delectatio, quanta in vitæ ratione instituen-
dæ utilitas, nemini ignotum esse potest. Quid enim præclarius aut dignius ab homine unquam suscipi potest, quam res gestas, Regumq; Ducumq; & tristia bella, æternis historiæ monumentis deprædicata audire & legere? Quæ major in hoc mortalitatis ac tristitiæ teatro suavitas hauriri poterat, ac ea, quam historiarum lectio plenis quasi amphoris nobis propinat? *Nibil enim aptius, inquit, Cicero, ad delectationem, quam temporum observare varietates, fortunæque vicissitudines: Quæ etsi nobis optabiles in experiendo non fuerunt, in legendo tamen erunt jucundæ. Habet enim præteriti doloris secunda recordatio delectationem: Cæteris verò nulla perfunctis propriâ molestiâ, casus alienos sine ullo dolore intuentibus, etiam ipsa misericordia est jucunda.* Jam quanta ex historiarum lectione in remp. redundare possint commoda, ex veteribus non unus indicavit *Livius* in præfatione historiæ suæ: *Hoc illud, inquit, est præcipuè in cognitione rerum salubre ac frugiferum, omnis re exempli documenta in illustri posita loco intrueri: inde tibi, tuæque reip. quod imitari, capias: inde scædum inceptu, scædum exitu, quod vites.* *Constantinus Augustissimus* in Oriente Imperator, quem primus nobis è tenebris etuit *Leo Allatius*, ideo se *Basilii Macedonis*, avi sui, historiæ enarrandam sibi proposuisse, ait: *ὡς ἂν καὶ τοῖς μετέπειτα μὴ ἀγνοῖται βασιλεῖς σελέχους, καὶ τοῖς ἐκγόνοις ἐκείνους οἰκοδομῆν εἶναι ἀνεσθηκῶς ὁ πρὸς ἀρετὴν κανὼν καὶ ἠδυσία, καὶ τὸ ἀρχέτυπον τῆς μιμήσεως.* *Ne posteris ignotus sit, illi-*

usq;

usq; liberis, & qui nascentur ab illis, erecta emineat ad virtutem regula, ac statua & exemplum, quod imitentur. Verè igitur historiam vitæ magistram appellat Cicero, quia hic tanquam in speculo, ornare licet & componere vitam ad alienas virtutes. Ut enim civilis prudentia præceptis docet severis, quid fieri oporteat: Ita historia exemplorum varietate præcepta condire solet. Sunt verò hæc eò majoris, quod cognitio ista ex historiis & facillima sit, & tutissima; Cum illa, quam per experientiam consequimur, & diutinum tempus requirat, & multis sit periculis exposita. Quare rectissimè inter leges historicæ professionis præcipitur: ut studiosæ juventuti in historiarum enarratione, diligenter commonstrentur fontes civilis prudentiæ. Graviter profectò censuerunt vim historiæ præcipuam & decus, ad utilitates vitæ, nec privatæ modo, sed in primis publicæ referri debere. Cum præsertim non alio instituto, laborem scribendis annalibus, viri docti aggressi sint; ut ridiculi videantur, qui delicias tantum lectari verborum, aut flores delibare sententiarum in animum inducunt: Aut qui non alio fine historias legunt quàm ut animum oblectent, & habeant, quod in convivis & circulis narrent. Commendari hic meretur cupidis discendi juvenibus Sallustii exemplum, qui in omni vitâ, inde ab adolescentiâ, quæcunque legerat, audiverat, ad meditationem civilis scientiæ, rei que publicæ intellectum se contulisse aliquoties signanter testatur. Eximius est & satis notus ille in Catilinalocus: *Mihi multa legenti, multa audienti, quæ populis Rom. domi militiæque, mari atque terrâ præclara facinora fecit, fortè lubuit attendere, quæ res maximè tanta negotia sustinisset.* Secutus & ego sum, Auditores, Sallustii exemplum, quare in enarrandis Imperatorum Roman. vitis non elaboravi modò, ut in Suetonio elegantissimam styli puritatem cum incredibile antiquitatum Romanarum ubertate, quæ tanquam in promptuario & armario collectæ & in unum conductæ hic videntur, studiosis & Auditoribus meis explanarem, sed in primis dedi operam, ut ne innatam illi scriptori prudentiam judicandi, ac interpretandi momenta reipubl. & civilium curarum negli-

gerem aut præmitterem. Placuit superioribus, ut in hoc publico & solenni confesso professionis meæ è vitâ Augusti VOBIS, Auditores, quoddam ederem specimen. Quod dum facere aggredior, Vos omnes atque singulos, ut attentis & benevolis auribus, quæ de constitutione reip. Romanæ sub Augusto, ejusdemque administratione stylo Scholastico potius, quàm strepitu oratorio, proferre animus est, audire velitis, oro atq; obsecro. Dicturus igitur de D. Octav. Cæsare Augusto, non inconsultè me facturum arbitratus sum, si pauca de reip. Rom. statu, ante Augusti Principatum præferer. Ac sub Regibus quidem Roma per annos 245. servivit, Reges enim ex summâ potestate leges ferebant, quas *Livius* inde Regias appellat, lites ex arbitrio finiebant, jura belli, pacis atque fœderum manu Regia administrabant. Unde Tacitus, *nobis*, inquit, *Romulus ad libitum imperit averat*. Qua loquendi formula, sensu Corneliano, Græcorum ἀντιβασιλευς accuratissimè exprimit. Existimat quidem Hugo Grotius, jam tum quædam populo excepta fuisse, maximè provocationem à Regibus ad se, in causa Horatii. Mox. Servius Tullius plus etiam vim Regis imminuisse videtur; Quippe, ut loquitur Tacitus, *sanctorum legum quæis etiam Reges obtemperarent*. Sed quod Hostilius cesserit provocationi ad populum, id ille fecit non de jure, sed remittens de sua potestate, ne videretur crudelis, si patriæ servatorem damnaret, aut injustus, si *perduellionem* (ut Livius loquitur) servaret: Quæ verò per indulgentiam fiunt, præjudicium juri creare non possunt. Deinde leges quæis Reges obtemperarent, non exprimit Tacitus, certum autem ex civili prudentia, non quamvis legem potestatem imperantis imminuere, limitare aut temperare aliquando in rebus minoribus possunt, dum ordo rerum in republ. servari potest, non tollere aut violare, in illo rerum casu, ubi interiret respublica, si leges Majestas sequeretur. Ejectis à Bruto Regibus, ubi crebris tumultibus & seditionibus fluctuabat respublica, difficilius est dicere, quæ forma, qui status obtinuerit. Jam enim plebs, jam opti-

A. 3. 26. 5.

Grot. 1. 3.

20. de j.

P. & B.

l. c.

V. Sigon.

l. 2. c. 18.

de jure

civ. Rom.

optimates praevalabant, & ad se cuncta trahebant. Placet igitur temporum quaedam momenta observare, quibus insignis Romae in hac causa mutatio acciderit. Et quidem primò notamus, duos consules, post Tarquinium Regem, summam potestatem obtinuisse, eorumque imperium à Regio hoc ferme uno distitisse, quod annuum esset. *Quippe ex perpetuo imperio annuum placuit, ex singulari duplex: Ne potestas solitudine, vel mora corrumpere-
 tur.* Sed non fuit diuturna haec absoluta consulum potestas, nam substitutus Collatino Val. Poplicola, *ex summo studio annixus est ad augendam liberi populi majestatem,* tribus à se latis legibus. *Nam & fasces ei, à quibus secures sustulit, ut omnem populo metum demeret, pro concione submisit, & jus provocationis ut proprium adversus Consules dedit.* Quam legem sic explicat Dionysius: Si quis Romanus magistratus aliquem, vel capite plectere, vel virgis caedere, vel pecuniis multare velit, licere privato homini ab illo magistratu ad populi iudicium provocare, nec interea magistratui licere in eum animadvertere ullo modo, donec populus de eo suis suffragiis statuerit. Altera lege Valerius cavet, ne quis Romae magistratum gereret, quem non accepisset à populo, capitali in eum decreto supplicio, qui secus fecisset, & impunitate proposita ei, qui ipsum occidisset. Tertia lege de tributis agebat & vectigalibus. Verum ne sic quidem satis temperabatur resp. cum solis patritiis honores darentur, plebs ab omnibus curationibus publicis rejiceretur. Unde fiebat, ut sub patriciorum dominatu non aliter serviret, atque antea sub Regibus. Secessione igitur facta in montem sacrum, & impetratis Tribunis, non matrimoniorum solum dignitatem, sed decora & insignia & communicationem etiam honorum invitis patribus extorsit. Jamque ex imperio optimatum & populari miscebatur Resp. *ut populus juberet, Patres auctores fierent.* Populus enim jus non habebat aut leges condendi, aut jubendi aliquid, nisi senatus praecessisset auctoritas. Non stetit his terminis semel mota populi licentia, Tribuni enim transgressi limites imperii sui ipsis consulibus diem dixere.

dixerunt, de provinciis judicarunt, tandemque per legem Hortensiam omnes Quirites ad plebis scita adstrinxerunt. Hac lege effectum est, ut quam hactenus usurparant patres potestatem cogentur populo tradere, & tum facta est res publica popularis. Populus enim leges jubebat vel abrogabat: magistratus dabat vel adimebat: Vitæ ac necis potestatem habebat: Et ad ejus judicium à magistratibus provocatio fiebat. Poterat æternam imperii vim Roma tueri, nisi tranquillum hactenus Reipublicæ statum furiosi & seditiosi quidam tribuni plebis infeliciter perturbassent, dum plebi contra optimates dominium hoc est *ὄχλοκρασίαν* affectant. Horum enim injuriis Sylla commotus ipsorum potentiam & plebis dominatum infregit, & iterum optimatum dignitatem asseruit. Mortuo Sylla, cum populus continuis flagitationibus tribunitiæ potestatis restitutionem ex postulare, Cn. Pompejus M. ei pristinum jus reddidit. Quod sane Pompeji consilium salutare futurum erat, si id tempora ferre potuissent. Verum in civitate moribus corruptissima, ambitione jam & avaritia grassantibus viam audaciæ patefecit, ad rapiendam tribunorum plebis auxilio remp. plebis suffragiis largitione corruptis. Atque cum tres in urbe cives potentissimi essent, Pompejus, Crassus & Cæsar, illis duobus è medio sublatis, res publica in sinum unius Cæsaris concessit. jam in eo totus erat, ut sibi firmaret imperium Cæsar, ubi in curia Pompeji, patriæ & legum amore à Bruto & Cassio tollitur.

- Flor. 4. 3. Redisse in statum pristinae libertatis videbatur Populus R. Cæsare & Pompejo trucidatis nisi improspere mota fuisset. Statim enim ab*
 1.
Flor. 4. 6. Augusto, acerrimo juvene & herede Cæsaris, Antonio & Lepido, nullo bono more Triumviratus invaditur. Redeunt plusquam
 3.
Syllanæ proscriptiones, eaque tempora, quæ promptius deflere tum Romanis quam describere, donec Lepidi atque Antonii arma in Augustum cederent, qui cuncta discordiis civilibus fessa nomine PRINCIPIS sub imperium unius recepit. Operæ pretium erit quædam ex AUGUSTI PRINCIPATU excerpere, quæ statum & vim reipublicæ ac administrationem, ex civili prudentia docere poterunt. Post.

Postquam Augustus superasset Antonium, Lepidumque armis exauisset, omni studio & conatu eò adlaboravit, ut non tutum modo seipsum redderet, sed etiam optimatibus omnem in reipublica perniciem insurgendi occasionem præscinderet; Quare solidam regnandi auctoritatem omneque imperii robur sibi uni & soli vindicavit, ratus neque melius firmari respublicas, neque in majus fastigium attolli, quam pleno unius arbitrio. Non probarem id longius, nisi invenirentur, qui sub Augusto pristinum adhuc Reip. & libertatis formam obtinuisse clamitent, ipsique Augusto summam in imperio Rom. potestatem & majestatem denegent: cum id uno quasi ore omnes affirmant melioris notæ historici. Suetonius de reddenda rep. Augustum *c. 28.* bis cogitasse refert, perseverasse tandem in retinendâ, quia plurimum arbitrio temere committi reputaverit. Eodem in loco *novi status mentionem* injicit: alicubi cuncti Senatores *majestatem* *c. 37.* ipsi ultro adscribunt clamitantes; fatis eam imminui, quod honorem consulatus non solus, sed cum altero gereret. Idem sensit *c. 54.* ille, qui *contradicturus erat Augusto si locum habuisset*, Objicit nempe, Casaubono interprete, occupatam remp. sive omnia in rep. loca. Similia his testantur somnia & præfagia multorum, de futura Augusti magnitudine, quæ Suetonius enarrat: quod *c. 94.* civis Velitrus rerum olim potiturus sit: quod natura Regem populo R. parturiat: quod Jupiter Catulo per somnium visus signum reipublicæ Ciceroni vel flagellum Augusto tradidisse. *vid. Casaub. h. l.* Quæ cuncta & singula summæ potestatis indicia clarissima. Non dissentit à Suetonio Tacitus qui Annal. 1. 4. 3. inquit, *Augustum cuncta sub imperium accepisse: munia senatus magistratum, legum in se traxisse nullo adversante: cap. 3. dominatorem Augusto tribuit. cap. 4. versum civitatis statum deplorat: jussa Principis & equalitatem comparat, cap. 8. num. 7. servitium & libertatem opponit: A. 3. 28. 3. potentiam longam tribuit.* Idem Dio confirmat, apud quem prænomine Imperatoris summum orbis terrarum imperium significatur. Huc pertinet solutio ab omnibus legibus, quæ Xiphilino teste, ab senatu

nata ita confirmata Augusto, ut reverâ sui juris, & absolutæ potestatis, tam respectu sui ipsius, quam legum, omnia quæcunque vellet, faceret, quæcunque nollet non faceret. Sed eamus per summa, ut vocant, imperii jura, & ponamus quædam inspecimen cæterorum. Consent civilis disciplinæ periti maximam imperantis elucere dignitatem exinde, si leges sancire queat, quibus universi ac singuli obstringantur, veteres mutare, novasque ad vitæ communionem longè meliorem condere possit. Quare nec Augustus sibi hic defuit, & munia legum in se traxit, *quæ triumviratu jusserat abolevit, deditque jura, quæ eis pace*

Tac. A. 3. 28. 3. 6. 34. & Principe Romani uterentur. Leges retractavit, & quasdam ex integro sanxit: Ut sumptuariam, & de adulteriis, & de pudicitia, de ambitu, & de maritandis ordinibus. Quin ipsum Romanum populum, qui liberâ republ. leges jubebat aut vetabat, sæpius edictis monuit, & turpitudinem exprobravit. Quodcunque autem Imperator per epistolam constituit, vel cognoscens decrevit, vel edicto præcepit, legem esse constat. Cohæret cum hac legum potestate actus judiciorum; Frustra namque feruntur leges, nisi juxta earum præscriptum à judicantibus civium vita & actiones examinentur. Unde non ipse modò assidue & nonnunquam in noctem jus dixit, summa diligentia, quâ pleraque pessimi exempli correxit, pluresque dies actuum rerum accommodavit; sed etiam judicum inferiorum decurias auxit, multisq; propositis præmiis effecit, ne quis judicandi munus difficillimum detrectaret. Quare tantum sibi à civibus acquisivit favorem, ut ab interpellatoribus in provincias abiturus de jure dicendo detineretur. Diximus & leges tulisse Augustum, & ex tenore illarum judicasse solertissimè. Cum verò omnis imperii administratio reliqua adeò varia, difficilis, impedita & latè exporrecta sit, ut summus Princeps omnibus exsequendis par esse, aut omnibus pariter interesse non possit, dubitari haud debet, quin ministerio aliorum uti necessum habeat. Creandi igitur à majestate qui iuridicando, vel legibus sint præfecti magistratus. Quod prudentissimè secum expendit Augustus, unde

*Imper. in-
stit. 1. 2. 6.*

C. 32. 33.

C. 97.

unde munia iterum senatus & magistratuum in se traxit, id est, senatus Majestatem, magistratuum auctoritatem, quam libera republ. obtinebant: cumque solus ille omnibus illorum officiis minime sufficeret, magistratus alios sibi suffecit, consulatibus extulit, quos voluit: *Tiberium collegam Imperii, consoremque tribunitiæ potestatis adsumpsit*: senatum correxit: consilia semestria instituit, cum quibus de negotiis ad senatum referendis ante tractaret: Quoque plures partem administrandæ reipubl. caperent, nova officia excogitavit; Curam operum publicorum, viarum, aquarum, Triumviratum legendi senatus: Censores creari desitos longo intervallo creavit: numerum Prætorum auxit. Quæque plura habet Sueton. nobis enim dignum tantum ad sedes rerum intendisse sat est. Et quamvis in hac causa quædam studiis tribuum fierent in comitiis, *potissima tamen* (dicente Tacito.) *arbitrio principis fiebant*. Jam si summa potestas in rep. quæ consistit in legibus ferendis, & mandandis magistratibus Augusto data fuit, quomodo negari possunt jura minutiora? Nam quod jus attinet belli & armorum, ab eo ita prohibuit Augustus senatum, ut non nisi provincias bello vacuas, illi regendas committeret, cæteras verò validiores ac bellicosas, sub titulo oneris suscipiendo, exercitus omnes & vim armorum sibi soli vindicaret. *ἵνα αὐτὸς δὴ μόνος καὶ ὄπλα ἔχη, καὶ ἐπαλιώτερας ἰστέον*, inquit Dio. Unde *partim ductu, partim auspiciis suis*, i.e. fortunam & Deos commodante, vicinas Italiæ gentes domuit; inque re militari & commutavit multa & instituit. Quod si ad religiones & sacrorum curam progredi operæ pretium esset, aut ad potestatem nummariam, eas quoque non alibi inveniemus, quam in palatio Augusti. Digna sunt legi, quæ Author noster c. 31. recenset, quantam in rebus sacris, ut tum erant & habebantur, diligentiam ostenderit, ut præsentia firmaret, collapsa corrigeret & ordinaret. Jam monetariam rem quomodo curaverit Augustus, testatur copia rei nummariæ, quam effecit, cum captâ Alexandriâ vasa aurea assiduissimi usus conflaret omnia: Testatur cura ærarii, fisci & vectigaliorum, quam rationario imperii seu breviario à semet inscriptam ad

Tab. A. 1. 3.

d. c. 35. ad 41.

A. 1. 15. 1.

cap. 21.

c. 24.

c. 41. 671

c. 101.

c. 31.

nem

C

6.40.

nem vitæ detinuit. Non minora his sunt jura libertatis, quæ ita sibi reservavit Augustus, ut curiosè civibus Romanis mittendi modum terminaret, Romanamque civitatem parcissimè daret. Taceo, quod Augustus proprio arbitrio heredem Imperii Tiberium scripserit. Cum igitur omnia majestatis jura Augustus nullo adversante, non abnuentibus provinciis usurpaverit, quid dubitemus asserere, quantum decesserit Senatui populoque R. Majestatis, tantum Augusto accessisse, eumque verè Monarcham fuisse concludere. Non desunt verò, qui Augusti Imperium perpetuæ Tyrannidis nomine accusant, quod per bella civilia, (quæ neque parari possunt, neque haberi per bonas artes,) perque malas fraudes, sibi acquisiverit summam Romæ potestatem, & porrò satis cruenta pace administra-

Tac. A. 1.

9.3.

Suet. c. 10.

6.12.

A. 1. 9. 3.

6.10.

Tac. 1. 10.

6.10.

verit. Speciosis quidem titulis omnia agebat Augustus, dum statim ad optimatum se partes contulit, qui pravas Antonii molitiones armis coercere non injuria decreverant. Eodem prætextu optimatum deinde causam deseruit, dicta factaque quorundam calumniatus, quasi alii se puerum, alii ornandum tollendumque jactassent. Sed & quæ adversum interfectores Cæsaris ausus executusque est, pietatis titulo insigniebantur. Unde qui domui Cæsareæ studebant, apud Tacitum, *pietate inparentem, & necessitudine reip. in qua nullus tunc legibus locus, ad arma civilia actum queruntur.* Omnium bellorum, inquit Suet. initium & causam hinc sumpsit, nihil convenientius ducens, quam necem avunculi vindicare, tuerique acta. Sed animadvertenter prudentes profundam dominandi libidinem, & pietatem in parentem & tempora reip. obtentui sumpta. Ceterum dominandi cupidine concitos per largitiones veteranos, & quæ plura habentur, in illo prudentum judicio, apud Tac. Sed quæ inter civiles tumultus, inque Triumviratu pravè gesserit & crudeliter Augustus hæc ferè habet Suetonius. Pactione gravissimæ mercedis, quamvis patricius, nec dum senator, Tribunatum plebis ambiebat: Antonio percussores subornavit: Veteranos milites maxima largitione sibi conciliavit: Hirtium & Panam

Panfam Coss. sustulit: Nursinos per sævitiam grandi pecunia, c. 11. 12.
 & quam pendere nequirent, ob libertatis studium multatos, ex-
 torres egit oppido: Post Philippense bellum in splendidissi- 13.
 mum quemque captivum non sine verborum contumelia sævi- conf. c. xv.
 it: In bello Siculo pacis simulatione Pompeium oppressit: Le- 6. 16.
 pidum specie amicitiae deceptum, spoliavit exercitu, & in per-
 petuum Circeos relegavit: Testamentum Antonii, quod ille 6. 16.
 vestalibus custodiendum commiserat, contra jus naturæ, Ro- cap. 17. ubi
 manorum & Religionem aperit, & pro concione recitavit: Tri- vid. Ca-
 bunatum multiplici & invidia & crudelitate administravit, col- saub.
 legis enim in multorum personam exorabilibus, solus magno- c. 27. tot.
 perè contendit, ne cui parceretur. Quoniam igitur Imperium
 & Remp. occupavit Aug. idque negari non potest, proximum
 est, ut videamus; An ergo justus Principatus sit habendus, &
 quando cœperit esse justus? Sicut autem haud dubiè inuasor &
 Tyrannus appellari potest, propter bella civilia, quæ occupan-
 dæ reip. causa gessit: Ista jus videtur postea nactus esse, præ-
 sertim inde à septimo consulatu, ex quo tempore, publico Tac. A. 3.
 consensu, decretoque S. P. Q. à decennio in decennium impe- 28. 3.
 rium ipsi confirmatum est. Accessit ergò ad occupationem vid. Boecl.
 Augusti primò sufficiens consensus populi, & pactum; adeoque Diff. ad
 non possessio tantùm penes Augustum fuit, sed jus mox esse cœ- Tac. Ann.
 pit; quo fit, ut tyranni appellatio desinat, Principis incipiat.
 Cum enim de republ. reddendâ curatissimè Augustus cogitaret,
 magistratibus etiam ac senatui domum accitis rationarium Im-
 perii traderet, supplicationibus illi animum ejus moverunt, ut
 in retinenda rep. perseveraret. Jam si Regiam in Servio Tul- Suet. c. 28.
 lio potestatem, qui, Flore teste, gubernacula urbis invaserat, 1. 6. 1.
 jure factam agnoscimus, ab eo tempore, cum præter authorita-
 tem Patrum etiam jussu populi sibi conciliaret, cur non idem Liv. 1. 46.
 de Augusto fatebimur, qui exoratus à populo imperium con-
 tinuavit. Huc accedit consideratio status temporisque, cum Tac. A. 1.
 non aliud prudentioribus discordantis Romæ remedium esse 9. 10.
 videretur, quam ut ab unius præsidis nutu, quasi anima & men- Flor 4. 3.
 te Tac. H. 1. 12.

te regeretur. Cum igitur pacis interesset omnem potestatem ad unum conferri, nimis in humanum fuerit, perpetuæ Tyrannidis infamia eum notare, sine cujus singulari Imperio & dexterritate resp. ipsa consistere non potuit. Cum præsertim in tali casu distinguenda sit temporum conditio, qua quis stante adhuc rep. imperium ad se trahere conatur; & deinde, qua ipsa reip. conversio novum parit imperium. Ac profectò non suscitavit primum civiles motus Augustus, sed ita reperit, ac laceffitus ab æmulo Cæsarianæ potentia Antonio, qui se successorem Cæsaris indignabatur, non potuit non agi in illud præcipitium libertatis. *Gratulandum tamen in tantâ perturbatione est, quod potissimum ad Octavium Cæsarem Augustum summæ rerum rediit: Qui sapientia sua atq; solertia, percussum undiq; & perturbatum ordinavit imperij corpus summa animi lenitate & clementia, ne quem novi status pœniteret, quæ administratio ita deinceps lenivit invasionis infamiam, ut imperium dolo partum jure adeptus videretur. Ut taceam satis valida à Tiberio ad Augusti originatum argumenta peti, cum non aliud quam hujus imperium ille continuaverit. Viderunt hoc ex gentilibus & Christianis quamplurimi, qui de Augusto, ut conditore summi imperii, & Principe Romanæ magnitudinis, divinitus dato, sub quo ipse pacis princeps Christus in mundum nasci voluit, loquuntur. Unum hic videtur cursum nostrum morari, quod senatus-consulta de imperio Augusti videri possint vel necessitate expressa, vel verecundia, ut noster loquitur. Verum non jam talis ille metus erat in septimo Augusti consulatu, ut consensus libertatem planè tollere posset. Quippe pro metu armorum & violentiæ, quam Augustus pridem desierat usurpare, nunc favor & benevolentia singulorum ergà Augustum animos impleverat, ut haud dubiè affectus amoris potius, quam metus, eum consensum promoveret. Deinde, non tollitur statim jus obligationis si quis metu majoris mali aliquid fecit, de I. P. & nec consensus defuisse dicendus est. Accedit quod consensus B. 2, 11, 7. ille postea non est revocatus, sed obsequio subinde prioris &*

Flor. 4. 3. 5.

cap. 57.

vid. Grot.

de I. P.

B. 2, 11, 7.

&

& populi & provinciarum magis magisque firmatus. Sed
 & juramenta intercessere, quorum religio exceptione metus
 non temere laxanda est. Atque ita Augustus eam, quam mul- *Adi-cun-*
 to sanguine & irrito conatu frustra alii quæsi- *dem Groc.*
 sumnam, non tam vi, quam placito & consensu populi sibi su- *3.19.5.*
 isque satis firmiter stabilivit. Verum ut ingeniosissimus erat
 Augustus, & in Reipublicæ fatum, Romanorumque mores &
 indolem aciem mentis permittere doctus, facile depre-
 hendit, imperaturum se hominibus, qui nec totam servitutem
 pati possent, nec totam libertatem; quare non placuit ipsi ab-
 rupta & sine fine dominatio, maluitque sponte sibi temperare im-
 perium, & Principis potius nomine constituere rempubl. quam
 regno aut dictatura. Scilicet prudentissimus Princeps non
 ignorabat exosum Romanis dictatoris nomen, quare dictatu- *Suet. 8.52.*
 ram, magnâ vi offerente populo, genu nixus, dejectâ ab hume-
 ris togâ, nudo pectore deprecatus est. Simili animo averfa-
 bantur Regium in civibus suis nomen quirites, aded ut hæc
 præcipuâ Cæsareanæ necis causa memoretur; & cum speciem
modò præberet Tiberius Gracchus regnum sibi & diadema poscentis,
concitato in arma populo, quasi jure appressus est. Ineptit hic *Flor. 3.14.*
 Bodinus, qui, cum non caperet per imaginem & simulacri gra- *7.*
 tia hæc omnia agere Augustum, ipsam potestatem & magnitu-
 dinem Regiam denegare non veritus est. Nihil autem re-
 fert, quo quis titulo potens sit, quandoquidem Regum inter-
 dum minor potestas est, quam Ducum ac Principum. Ne ergo
 initia Principatus discrimini exponeret Augustus, invidiam
 nominis declinare, & ad tuendam plebem Tribunitio jure con-
 tentus esse voluit. Quamvis non desint optimæ notæ scripto-
 res, qui apertè & sine ullâ circuitione, non Regiam modo po-
 testatem, sed ipsum etiam nomen Augusto adscribant. Sanè
 Tacitus suo jam tempore domus *regnatricis* meminit. Pluri- *Tac. 1.4.4.*
 bus id agit Dio, apud quem, in disceptatione Agrippæ & Me- *Dio. 6.52.*
 cænatis, Cæsar huic assensus *regnum* confirmavit, & porro:
 Quibus rebus confisus, convocato senatu, cepit agere de

REGNO deponendo, ac republ. restituenda. Imò republ. Rom. post annos 725. rursus, ait, in *Regiam* potestatem venisse. Nec desunt ad probandam Regii nominis dignitatem ex ipso Suetonio argumenta; cum natura *Regem* populo Romano parturire dicitur: Cum Augustus cum Alexandro Rege confertur: Cum Theogenes illum *adorat*, quæque plura sunt alia. Ausonius Monasticha de Cæsaribus XII. sic orditur:

Cæsareos proceres, in quorum *regna* secundis
 Consulibus dudum Romana potentia cessit,
 Accipe bis senos.

conf. Eu-

trop. l. 6.

in fin. ap.

Lampad.

P. 2. §. 7.

pag. 54. de

R. R.

de ordine imperiorum sic canit:

Primus *Regalem* patefecit Julius Aulam
 Cæsar, & Augusto nomen transcripsit & arcem.

In Tetra stichis ita seriem Imperatorum recenset:

Nunc & prædictos, & *regni* sorte sequentes
 Expediam:

Julium Cæsarem ita producit:

Imperium binis fuerat solemne quod olim
 Consulibus, Cæsar Julius obtinuit.

Sed breve jus *Regni* sola trieteride gestum.

Et notum est nomen *Legis Regiæ*, quam dubium non est sic dictam, quod imperatoribus *Regiam* potestatem attribuerit. Extant ejus legis ex tabularum fragmentis eruta reliquia, quæ haud obscurè declarant, aut latam eam esse Augusto rerum potente, quod Justinianus jam olim voluit; aut confirmatum omninò *Regium* Augusto arbitrium. Subtiliora sunt quæ circa ipsam reip. administrationem arcana excogitaverit Augustus. Ita namque circumspèctè gesta sunt omnia, ut civilium rerum ignari, ipsam reip. formam, cum jam alius omninò esset civitatis status, mutari vix sentirent. Dabimus ejus rei exempla haud spernenda quo cætera eò facilius dignoscantur. Est quoddam in summâ Majestate jus, seu potestas, ut vocant, extra ordinem usurpata, quæ ut sæpius in detrimentum & injuriam subditorum vergere videtur; ita necessaria est imperantibus;

ubi

ubi Reipublicæ ratio id flagitat, nempe ubi & salus seu securitas totius reip. & maximè urgens necessitas, rei item, in quo jus illud usurpatur, magnitudo postulant, ut Majestas ab aliis civilibus legibus deflectere cogatur, idque eorum jus est dominationis & vis Principis, ut Tacitus loquitur. Potuisset pari modo, nullo adversante, in ornanda urbe principe Augustus privatas civium rationes publicis postponere; Sed ut nunquam non secius de Principe judicant illi subditorum, qui privati sui commodi jure dominationis privantur; ita studiosè Augustus omnes calumniandi, aut male de se sentiendi occasiones devitavit, atque forum, quod Romæ jecerat, angustius fecit, non ausus extorquere possessoribus proximas domos. Senatus paulò ante tempora Syllana consilii publici dominus erat, quodque is decreverat, firmum & ratum esse jubebatur, erant penes illum & civilium controversiarum & criminalium judicia, & quamvis populus bella aut pacem juberet, ejus tamen placita, ut auctoritatem obtinerent, confirmanda erant ejus ordinis auctoritate, qui & nobilitate & prudentia in rep. eminebat, consiliique publici, ut antea dictum, dominus erat. Hinc illa apud scriptores elogia: *populum jubere, patres fieri auctores*. In comitiis populus magistratus eligebat, sed ita ut moderarentur & regerent Senatores, ne forte Tribuni, novarum rerum *Æoli*, plebem ad sequiora consilia inflecterent. Rursus hic Augustus, quamvis omnem ejus ordinis potestatem sibi soli vindicasset, ne nova reip. facies appareret, eadem magistratuum vocabula atque auctoritatem eorum salvam & intemeratam reliquit. Cumque ob immodicas aliquando altercationes disceptantium è curia per iram se proriperet, passus est nonneminis virulentas oggannientis injurias: Licere oportere Senatoribus de rep. loqui. Quoties Magistratuum comitijs intererat, licet potissima ejus arbitrio fierent, tribus cum candidatis suis circuibat: supplicabatq; more solemni. Neve se ulla in re superiorem ostentaret, ipse suffragium in tribu, ut unus è populo ferebat. Tandem ita abusus civilitate sua videbatur, ut

Suet. 6.56.

6.54.]

testeem se in iudiciis & interrogari & refelli æquissimo animo
 pateretur. Taceo jam, quomodo habitatione, instrumenti &
 supellectilis parcimonia, quorum pleraque vix privatae elegan-
 tiæ erant, fascinaverit insuetos, profunda rerum publicarum ri-
 mari, animos. Atque sic vidistis, Auditores, quàm providâ
 mente, quantâque animi solertia Imperii Romani magnitudi-
 nem seu ordinavit Augustus, seu constituerit, nam de subiectio-
 ne, quæ Majestati respondet, eamque presso pede insequitur,
 jam dicere non attinet. Poteramus & gravioribus & longè
 pluribus momenti sententiam hanc firmare, nisi temporis ha-
 bendam esse rationem multa me admonerent. Audiamus ergò
 & sagaci animo scrutemur, quàm prudenter, imò quàm felici-
 ter curam reip. administrandæ Augustus suscepit, quàm pro-
 sperè, quæ in perniciem publicam, aut ex consuetudine licen-
 tiaque bellorum civilium duraverant, correxerit. Nemini hic
 dubium esse potest, vim omnem Principatus & Reip. includi in
 bono publico, id est, publicâ omnium securitate & salute. Hæc
 est candida illa meta, quam decurrere debebant Imperantes:
 Hac una illi in re abeunt à Tyrannis, quod Tyrannus suum
 ipsius commodum spectat & quærit; at Rex subditorum: Ty-
 rannus ab expilatione & inopiâ civium salutem suam depende-
 re arbitratur; Rex bonus subditorum opes, ingruente neces-
 sitate, certissimum sibi & reip. laboranti subsidium existimat.
 Decurritur autem virtute potissimum & prudentiâ. Hic verò
 immensum sese nobis pandit mare, latissimè enim virtutum of-
 ficia patent, & arctissimè Imperantibus sese insinuant. Vulgo
 ita judicamus, ut probitate emineat, qui dignitate superemi-
 net, & ubi suffragijs res geritur, omnes, cum Aristotele, Re-
 gem nobis constituimus, ex idoneis καὶ ὑπεροχὴν ἴης ἀρετῆς ἢ
 πράξεσσι τῶν ἀπὸ ἴης ἀρετῆς. Nos eas jam libabimus virtutes,
 quæ dexteritatem actus publici juvare possunt, & in ipso regno
 regnum sibi postulant. Eminent inter illas, & primas tenet, ut
 Cic. off. 1. sol inter minora sydera diva Themis & justitia: *Tanta hujus vis
 est, ut nec ij quidem, qui scelere & maleficio pascuntur, possint sine
 ullâ*

ullâ particulâ justitiæ vivere. Hanc idè ab astris divinum nu-
 men demisit Principibus, ut in illis majestatem Deitatis adum-
 braret; pietate enim & justitia Principes Dij fiunt, ut præclare
 apud Senecam Augustus inquit: Hæc turbarum civilium tene- *include*
 bras, & nigras malitiæ humanæ nubes splendore suo dissipat;
 sine hujus lumine Resp. cito pede ad obscurum antiquorum
 chaos redigerentur. Scilicet justitiæ administratio in quocun-
 que Principe requiritur, neque minus sibi æquum jus à Prin-
 cipe deberi, quam se obsequium debere Principi credunt ci-
 ves. Quippe hæc unâ Reges olim sunt sine creati: dicere
 jus populis, injustaque tollere facta. Ne jam de utilitate &
 gloriâ dicam, quæ justitiam Principum consequitur: Fun-
 damentum enim perpetuæ commendationis & famæ justitia est:
 sine quâ nihil potest esse laudabile. Æternam igitur apud
 omnes sibi gloriam peperit Augustus, qui *jus apud cives, mode- Tac. A. 1.*
stiam apud socios, id est, justum moderatumque domi forisque *9. 6.*
 imperium exercuit. Nam, ut illud jus apud cives propius in-
 spiciamus, non jura tantum & leges dedit Augustus, vincula
 item & custodes indidit; sed & ipse jus dixit assidue, & in no- *Suet. c. 33.*
 etem nonnunquam: Si parum corpore valeret, lectica pro tri-
 bunalis collocata, vel etiam domi cubans, adedque suâ præsen-
 tia & diligentiam ambitum foro expulit, atque ne leges vi & gra-
 tia turbarentur, ne pecuniâ aliisque artibus corrumperentur,
 providit. Temperanda tamen hujus Divæ, quæ pluribus arri-
 det, severitas & excessus moderatione clementiæ. *Vtrum*
enim, quærit Seneca, mundi status gratiosior oculis, pulchriorque sit de Clem.
sereno & puro die. An cum fragoribus crebris quatiuntur, & ignes
hinc atque illinc micant? Atqui non alia facies est clementis ac mode-
rati imperij, quam sereni cæli atque nitentis. Crudele regnum
turbidum, tenebrisque obscurum est inter trementes, & ad repenti-
num sonum expavescentes Quare qui à subditis vult amari Prin- *Sen. de.*
 ceps, firmissimumque sibi reddere imperium, sæpè eum dimit- *Clem.*
 tit, cujus peccatum deprehendit, si pœnitentia facti spem bo-
 nam pollicetur; si intelligit, non ex alto venire nequitiam, sed
 sum-

D

sum-

summo, quod ajunt, animo inhaerere. Sic Augustus Diomedem dispensatorem; à quo, simul ambulante, incurrenti repente fero apro, per metum objectus est, maluit, quia fraus aberat, timiditatis arguere potius, quàm noxæ: quin nec eos, qui comperti insidias struxisse, punivit omnes, & quosdam honoribus sibi in posterum & præmiis obligavit, sicut exemplum Cinnæ ex Dione notum est; cui ultro deinceps consulatum detulit Princeps, questus, quod non auderet petere: sed & conscios non nisi verbis castigatos indemnes dimisit. Atque hinc, Auditores, tantum imperii robur & firmitas Augusto accessit, ut altissima in pace quatuor & quadraginta annos solus Remp. teneret. nempè pauca admodum, ac quæ Reip. flagitaret necessitas, ut severè animadverterentur, vi tractata, quo cæteris quies esset. Refulget ex hoc clementiæ lumine ipsa modestiæ facula, quæ cum omnes deceat in hac mortalitate, Principibus tamen viris vario aspectu adsumenda. Vix enim quicquam in Imperantium vitiis difficilius ferre possunt subditi, quàm superbiam & arrogantiam suorum Principum, *quæ ipsâ etiâ crudelitate gravior est bonis.* Fugite Principes hanc animi pestem, quicumque tutò vestris imperare, quicumque in posteros derivare vultis imperia. Magni estis & excelsi? Leo ipse aliquando minimarum avium pabulum fit, & ferrum rubigo consumit. Respicite antiquorum temporum monumenta: Quid Tarquinius è regno avito ejecit? Superbia: cum ne vocem quidem cum civibus consociat. Quid Alexandrum Magnum illum Orientis & Orbis domitorem perdidit? Arrogantia: cum fastidit homo esse, nec jam Philippi sed Jovis audire filius. Quid Julium Cæsarem, illum Alexandri, magnitudine cogitationum, & bellandi peritiâ, æmulum de solio deturbavit? animi elatio: cum has arrogantiaë emittit voces: debere jam homines consideratius secum loqui, ac pro legibus habere, quæ dicat. Illi amantur, & tanquàm de cælo demissi suspiciuntur Principes, qui homines cum sint, hominibus se imperare cogitant, *facilesque aditus ad se privatorum & liberas querimonias de aliorum injuriis*

Flor. 1. 7.

Flor. 17.

Suet. Jul.

77.

C. c. pro.

L' Man.

furis esse patiuntur. Ac profectò commendari è plurimis hic potest præcipuè Augustus, qui aded multa atque magna hujus virtutis edidit monumenta, ut, si singula hic referre esset animus, hic dies non sufficeret, quare digitum tantùm ad sedes rerum intendisse nobis sat erit. Inveterato hæctenus more Romanis invaluerat, ut statuæ, aræ atque templa proconsulibus decernerentur. Hic verò Augustus, quamvis ex veritate nostræ Religionis à receptis Deorum honoribus omninò excusari non possit, ita temperavit tamen, ut in urbe quidem pertinacissimè abstineret, in provinciis verò, nisi communi suo Romæque nomine non reciperet. Domini appellationem, utpote quæ soli Deo deberetur, ut maledictum & opprobrium semper exhorruit. Cumque spectante eo ludos, pronunciatum esset: ò Dominum æquum & bonum, cunctique quasi de ipso dictum comprobassent, non manu modò vultuque indecoras has adulationes statim repressit, sed insequentem etiam die gravissimo corripuit edicto, dominumque se appellari, nec à liberis quidem ac nepotibus deinceps passus est. Promiscuis salutationibus etiam infimos è plebe admisit tantâ comitate aduentium desideria excipiens, ut non neminem verbis corripuerit, quod ita sibi libellum porrigeret, quasi elephantò stipem. Jam Patres quam civili & ad humanitatem composito animo sedentes nominatim singulos, nullo admonente in curiâ salutaverit, prolixum esset enarrare. Pro quibus in remp. meritis tanto perè à civibus dilectus est, ut universi repentino maximoque consensu Patris Patriæ cognomen ei detulerint. Facebant ergò qui virtutem haud negant Imperatori convenire: quique ex longinquo majorem imperantibus quærunt reverentiam, ut intra secretum domus inclusi, tanquam aliquod vestale secretum consulantur. Refert equidem Lampridius, objectam Alexandro Mammeæ nimiam civilitatem; jure quidem, si nimia fuit: Cæterum ἀπλῶς civilitatem in Principe damnare, est negare eum hominem esse. Ita enim modestiam commendamus Principi, ut Majestatem, id est, reverendam quandam

C. 52. &
 seqq. vid.
 Cas. h. l.

6. 58.

D 2

am-

Tac. A-
gric. 2.

amplitudinem, ab eodem removeri posse minimè concludamus. Miscendæ sunt gratissimo mortalibus temperamento, quæ prima fronte diversissimæ videntur virtutes, ne *facilitas auctoritatem, aut severitas amorem diminuat*: Scilicet tempora curarum remissionumque dividenda Principibus, ubi conventus ita postulant, magnitudo & gravitas induenda, ubi verò officio satis factum, Dignæ estimata civilitas & modestiæ studium revocandum. Egregium hic nobis suppeditat exemplum Fridericus Daniæ Rex, qui ita Majestatem humanitate temperavit, ut non temerarit tantum suæ potestatis fastigium. Sæpius amicos, quasi sepositâ Regis personâ ad sales & jocos, & in quæ liberior animus ruit, provocavit, monens, lascivirent secum & jucundè ineptirent, dum Rex abesset. Postquam satis lusum fuerat, resumptâ Regiâ gravitate, heus amici, inquit, mittamus nugas, Rex enim rediit. Si Principibus tamen viris quærenda Majestas, non tam ex crepundiis ea colligenda, sermone puta paucorum verborum, ubi ipse noster impegit Augustus, qui sermones etiam cum Liviâ suâ graviore non nisi è scriptis, & è libello recitabat: in cæssu tardo, habituque corporis elegantiori: quam ex internis animi virtutibus, quæ solæ, solæ inquam, Principi Majestatem & reverentiam conciliare possunt. Sagacitas in pernoscendis Civium & Ministrorum ingeniis, prudentia in legibus ad mores populi ferendis, peritia bellicarum artium, pacis tuendæ solertia, in promissis veritas, in captis magnus animus, in factis inconcussum animi robur, in divinis exacta sacrorum & religionis cura, denique in universo vitæ cursu morum æqualitas & constantia. Hæ virtutes munimenta sunt magnitudinis regiæ: Hæ populos veneratione implent: Hæ Principem tutum sanctumque præstare possunt. Inerat & hæc, Auditores, in Augusto auctoritas & veneratio inerat perpetuum pacis tuendæ studium, justitiæ exercendæ strenua diligentia, in deliberando maturitas, in exequendo celeritas, in agendo constantia. Hinc tantus in illum non sociorum modo Regum affectus & reverentia, qui regnis sæpè relictis, & Romæ & provin-

Illustriss.
Forstn. hy-
pomm. Pot.
15.

6. 60.

vin-

vincias peragranti, quotidiana officia togati, & sine regio in- c. 21.
 signi, clientium more praestiterunt, sed externos, quoque In-
 dos & Scythas pellexit ad amicitiam suam populi que Rom.
 ultrò per legatos petendam. Atque ita, Auditores, cum Au-
 gusto regiam virtutis viam emensi sumus. Progrediendum
 jam erit ad prudentiae semitam, quae illi alteri robur & firmita-
 tem addit, sed quò illustrior ea, ita foedissimè plerique ab eà ab-
 errant, atque per rupes & scopulorum anfractus devia secuti ad
 praecipitia rerum pub!. prolapsi sunt. Aperiendus ergò ille cam-
 pus, & via monstranda meta, quam felicissimè Augustus eam atti-
 gerit. Tam verò necessaria est imperantibus regnandi ars & pru-
 dentia, quam arduum ac subjectum fortunae regnandi cuncta
 onus: quam difficile est praesse hominibus naturam indomitam,
 quique in nullos magis insurgunt, quam in eos, quos imperi-
 um in se adfectare persentiscunt. Quis unquam in vasto mari
 procellis & tempestatibus exundanti, navim servavit illaefam,
 contra vim & insidias ventorum, sine acus magneticæ ductu?
 Quis bestiarius apros frendentes, leones rugientes, urfos terri-
 biles, pantheras aut tigrides sanguinarias domuit sine arte qua- Suet. Tib.
 dam & tractatione? ita nemo unquam sine consiliis republi- c. 24.
 cam, quam Tiberius olim belluam appellabat; nemo homi-
 nem, quo nullum animal morosius est, nullum majori curâ
 tractandum, sine auspiciis prudentiae flexit aut moderatus est.
 Felicem ergò Romam, quae Augustum suum ipsius prudentiae
 alumnum tot annis sapientissimum experta est imperatorem.
 Hujus sola mens illis temporibus tantae molis, tantarumque
 curarum capax erat: Hic ea quae orbis imperii fundamenta Cæ-
 sar jecerat, immortalis nominis gloria felicissimè consummavit,
 ut adolescentis inde auctoritatem viri suspicerent; prudentiam
 viri senes non caperent; privatum nemo despiceret, Principem
 orbis veneraretur. Atque nescimus adhuc, Auditores, propriae
 industria, an verò singulari DEI beneficio tantam regendae rei-
 publicae peritiam, & tenendi status consilia, adeptus sit Augu-
 stus. Caelo necesse est tam prospera longissimi regiminis spe-



Suet.
6. 84.

cimina contigerint ; neque enim humanis solum consiliis ad tantam gerendarum rerum potestatem & arbitrium eniti, nec confirmare semel ceptum reip. moderamen Augustus potuit. Nec industriæ tamen humanæ cuncta denegari possunt prudentiæ subsidia, cum præter indefessum humanarum rerum usum & tractatum, Eloquentiam studiaque liberalia ab ætate primâ & cupidè & laboriosissimè exerceret. Falluntur qui sine divinâ ope respublicas administrari, aut prudentiam civilem sine literis addisci posse opinantur. In quibusdam equidem naturalis ingenii solertia, in aliis usus rerum, & per varia experimenta traducta vita, in rerum & negotiorum vim idoneâ subtilitate penetrant. Themistoclem præsentissimi in rebus consilii atque iudicii fuisse proditum est. Nam & de instantibus verissimè iudicabat, & de futuris callidissimè conjiciebat ; Atqui is (Thucydide teste) omnium literarum rudis erat. Veruntamen, Auditores, nemo ita desipiet, qui digladiandi artem è rep. eliminare velit, quod nonnulli lacertorum robore confisi hostem prosternere audeant. Quin imò ut certius adversarium ferias, discenda, tibi luctandi solertia, & exercenda sæpius, ne frustra verberare aërem videaris, aut robustiori succumbere. Ille ipse versutissimus Græcorum Thestimocles nunquam sanè societatem cum Rege Persarum ad opprimendam patriam fecisset, si politioribus studiis animum excoluisset. Nos illud cum Vegetio, Auditores, cogitemus, neminem magis decere, vel meliora scire, vel plura quam Principem, cuius doctrinæ omnibus prodesse debet subditis. Solæ sunt literæ quæ excelsa ingenia ad magnæ fortunæ cultum excitant, & ad prudentiæ speculum affabre expoliunt. Nemo hic redarguat nos aut reprehendat, quod nimia ad studia applicatio abripiat Principis animum, & à gubernandi curâ sevocet, quædam etiam literæ ad excelsa natos emasculent, timiditatem animis ingenerent, quæ libertatem deinde aut adimat penitus aut impediât. Nolumus enim Principem nostrum literarum laborare intemperantia, aut à publicarum rerum curâ abstractum
ad

ad otia & tenebrosos secessus revocare. Sapiat ille ex literis, sed quantum opus est sapiat. Discat ille cum vera Religionis notitiâ accuratiori, eas primo linguas quarum apud subditos aut vicinos crebrior usus, easque per eloquentiæ, blandæ illius affectuum dominæ, disciplinam eousque exercent, ut promptior ad subita extemporali oratione Majestatem defendere queat, voluntatesque subditorum suaviter attrahere, quo imperio sese lubentiores subjiciant. Et sanè si flexanimæ eloquentiæ tanta vis est & facultas, ut tranquillâ sæpè potestate peragat, quod violenta nequit; Quid fiet demum, si armetur *Tac. A. 13.* potentiâ Regia aut purpura vestiatur. Augustus hæc habuit, *3. 5.* *Auditores, cui prompta erat ac profluens, & quæ Principem dece-* *ret eloquentia:* qui Mutinensi bello, in tanto armorum strepitu, & mole rerum, quotidie aliquid & legisse & scripsisse & *c. 84.* recitasse dicitur Suetonio. Post Eloquentiam, variarumque linguarum notitiam, quid utilius Principi ad regnandi scientiam, quam historiarum & Philosophiæ civilis frequens lectio? quæ honestissima opera conjunctæ, in star Cynosuræ, in hoc turbido mortalitatis statu præsentia ordinabunt, futura providebunt, præterita recordabuntur. Augustus iterum Auditores, Principem nobis expressit, qui ita historiarum erat peritus, ut ipse vitam suam tredecim libris exposuerit: quam ita diligenter diurnâ nocturnaue versavit manu, ut præcepta & exempla publicè vel privatim salubria, in evolvendis authoribus excerpta, aut ad domesticos, aut ad exercituum provinciarumque rectores, aut ad urbis plerumque magistratus mitteret, prout quisque monitione indigeret. Ut verò fastidium creat sapientia, si morosa nimium sit & severa; ita conducibile videtur Principi, ut imperandi severitatem humaniorum literarum atque artium suavitate aliquantum temperet atque ornet; Non enim minus illæ resplendent in Regio diademate, quam in anulo adamantes: neque quicquam auctoritati poterit derogare aut curis obesse publicis, si animi oblectandi causa non nihil temporis Princeps iisdem impertiatur, Sic nonnulli sculptoriam; *Suet. c. 89.* *aliâ*

alii pingendi artem; quidam poësin aut musicam adamarunt. Augustus noster, ut à gravioribus aliquando reipublicæ curis avocaret animum, neque Romanorum servitio defixus semper videretur, variâ eruditione (quam φιλολογίαν & πολυμαθειαν recte interpretatur Casaubonus) repleri à Sphæro sustinuit; Nec Poëmatum planè imperitus erat, sicque veteri delectabatur comœdia, ut sæpè eam publicis exhiberet spectaculis. Atque hinc, Auditores, vastus ille Augusti animus se explicavit, & par orbi terrarum prudentia: Quam non labores fregère, non exhauserunt curæ, non moles negotiorum oppressit. Non licet nobis per temporis angustiam, qua inclusi sumus, & ne in commentarium excrescere videatur oratio, ad consiliorum Augusti rationem, quam seu in civilibus seu bellicis exercuit negotiis descendere. Quæ intricata aded sæpè imperantibus offeruntur, ut unius hominis animus regno sustinendo vix par esse videatur. Nam ut singularia in actibus civilibus ne proferam negotia, vestra, Auditores, probibet autoritas: ne militarem Augusti vobis exhibeam disciplinam pudor meus vetat, ne quis Hannibalis sibi lome excipiat, qui Phormionem Philosophum de Imperatoris officio differentem, cum audiret, quamvis à Græcis suis jam plausum meruisset, senem vocabat delirum, quod de instruenda acie dicere auderet, cuius ne pictam quidem imaginem oculis usurpasset; quasi illud Pyrrhi ipsi insusurratum voluisset: Ne mihi de militia judicet, cuius aures tubarum clangor non circumsonuit. Quare propius jam accedemus ad ea, cuius gratiâ potissimum hæc actus solennitas instituta est. Quamvis ergo Auditores omnis imperii, in hac communi quadam civitate Dei hominumque administratio, aded varia, sublimis & excelsa jure suo æstimetur, in qua imperantes ipsi Deo propiore cognatione & communione attinentur. Non minima tamen eorundem est rerum Scholasticarum cura & sollicitudo; quam meretur, atque uberrime compensat finis, si ad eum elucteris, scholasticæ institutionis, qui

est

est, ut cives formemus pios, probos, honestos, & in quovis genere vitæ utiles & bonæ frugis: aliquos etiam ad publica munia idoneos, eruditos, disertos, rerum divinarum humanarumque intelligentes. Optimum profectò scholarum institutum, & ex ipso cælo natum! Hæc enim si impetraverimus è sumptibus & laboribus scholasticis commoda, felicissimè sanè florebut respubiicæ, cives in otio & tranquillitate publica vigebut. Atque profectò quod nondum redierimus ad pristinam barbariem, quod virtus nondum à nobis recesserit, id unum Gymnasiis meritò debemus. Ut verò nihil in hoc mundo reperitur, quod ab omni labe sit immune: ita potissimum, partim ob mortalitatis nostræ imbecillitatem, partim conscleratorum quorundam pravitatem, sicuti cus quidam morbus hæc Musarum sacraria ubique locorum invasit, ut omnis cum virtute eruditio ex universâ Germaniâ abutum minari videatur. Sit enim Princeps, uti quidem meritò nos gloriari possumus, qui curam scholarum reputet esse necessariam, honestissimam, omni labore atque impendio dignam: sint ministri, quibus ad exemplum Principis eadem sit mens, quique industriam negotiis istis parem libenter adhibeant: Nondum tamen superata sunt omnia pericula, quæ à docentium discipulorumque ingeniiis, à parentum vitiis, à civium negligentia bonæ educationi nascuntur. Nemo non bonus Princeps in hunc finem scholis suis præficit Doctores, ut illas prudentia sua regant, eruditione illustrent, vigilantia tueantur, sedulitate extollant; Singulæ enim hæc virtutes, & multò plures bono juventutis duci inesse debebant. At quotus quisque, de meo enim ordine liberè confiteor, istis omnibus instructus, ad operas scholasticas accedit? videas hic homines, qui cum ipsi vix primoribus labiis, ut canis Nilum solet, bonas literas degustarint, omnium puncta auferunt, maria & montes discipulis promittunt, donec frustrati tandem illi, aliud vitæ genus, rebus demum deperditis, & transactâ melioris ætatis parte sine fructu, aggredi coguntur. Alii fortassis & eruditione accuratiori &

E

mul-

multijugâ lectione instructi in scholis versantur, sed vel inertiaz se dedunt, vel illam partem vitii peccant, quam eruditè dolet Drexelius, eorum, qui multa sciunt, at ea docere nolunt. pessima illorum est invidia, qui agrè boni authoris librum, ex quo in studiis profecerunt, cum discipulis communicant, fortasse ne furta illorum coarguantur. Detestanda planè invidorum illorum malitia, qui nomina scriptorum ex facie libri eradunt, decerpunt, uti Göttenius *ἀνολοπίης* eorum malignos deplorat animos. Sed dabis mihi, uti benignior quidem nos afflavit aura, Præceptores eruditione instructissimos, sedulitate laboriosissimos, nondum victa tamen discen- tium protervitas & ignorantia. semper enim *imberbis juvenis est*

Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,

Vtilium tardus provisor, prodigus æris,


Sublimis, cupidusq; & amare relinquere pernix.

His præsertim corruptissimi seculi moribus, ubi omnis disci- plina periit, juvenus libera, sibi relicta, in desidiam, in omnes vitiorum formas pronissimè ruit. Si velis coërcere malitiam, corrigere ignaviam, præire paulò arduam virtutis viam, ilico à parentibus audias plagosus Orbilius, homo morosus. Jam publica civium negligentia, studiorum contemptus, quæ non impedimenta rei scholasticæ adferunt? Sublato nempe uno obstaculo, aliud atque aliud subinde offenditur, ut mirum non sit, plurimos aut spernere aut desperare rem despectam vulgò, laborisque miseri & perpetui. Divino itaque opus est auxilio, tum constantia atque sedulitate incomparabili, ad sta- tum scholarum ordinandum. Omnibus incommodis ut mede- retur, jampridem cogitare cœpit SERENISSIMUS PRINCEPS noster, rei literariæ non minus, quam civilis bene constituendæ, ad Heroicum profus nec imitabile exem- plum, studiosissimus. Ut enim Augustissimi ipsius Majores ERNESTI, GEORGII-FRIDERICI, FRIDE- RICHI illustre hoc Gymnasium & fundarunt, & liberalissimis stipendiis amplificarunt; ita SERENISSIMUS PRIN- CEPS

CEPS noster pietatis avitæ vestigia premens, in tanto Europæ
 liberalium artium tædio, amplissimis sumptibus alit atque su-
 stentat. Me nunc Serenissimus Princeps illustri huic Gym-
 nasio **R**ECTORIS munere præesse deinceps jussit. Qui
 enim fidem meam aliquoties experiri & benignè interpretari
 voluit, nunc & gloriam communicavit, collatâ in me sponte,
 & sine omni ambitu meo, eâ dignitate, quæ quantum honoris
 juxtâ cæteros, tantum & curæ habet. Atque utinam comme-
 moratis virtutibus, Tuo, **S**ERENISSIME **P**RINCEPS,
 voto atque expectationi respondere possem! At verò quæ de-
 futura mihi sunt, ipse supplebis **T**IBI; **T**U A enim refert,
 ne temerè electus possim videri, & prostituisse judicii Tui
 magnitudinem intelligaris. Si perpetuo favore me adjuveris,
 quævis omnium judicia, aut æqua accepturum, aut iniqua su-
 peraturum me confido. Ego interim eâ modestia agam &
 curâ; ut non tam meritos gerere honores videar, quam mereri
 velle, ut deinceps gesturus. Denique enitar ne Clementiam Tu-
 am fefellisse prior de me fama videatur. Te, illustris & Generose
 Præses, **D**OMINE **F**ORSTNERE, non ego solum, sed omnes
 mei collegæ, ore jam meo, & agnoscunt Gymnasii hujus Patro-
 num, & humillimo animo colunt. Inferiores longè sese æstimant,
 quam ut Tua in universam Remp. quibus **S**ERENISSIMUM
PRINCIPEM levas, & Gymnasium promoveas, merita con-
 dignis laudibus deprædicare possint, tacito potius pectore im-
 mortalitatem nominis custodire, & divinam Tuam in negotiis
 publicis prudentiam admirari malunt. Tibi, **V**ir Summe atq; No-
 bilissime, Consiliarie intime, Sacriq; Consistorii Director, **L**IN-
SENMANNE, **V**OBISq; Nobilissimi, perquam Reverendi &
 Amplissimi, Consilarii, maximas, pro vestro in studia mea fa-
 vore, debeo gratias, **V**obis vestræq; commendationi Serenissimi
 Principis gratiam & debere me agnosco, & gratisimo animo
 profiteor. Quicquid igitur in me virium erit, ad vestros hono-
 res ornandos libentissime conferam: Certè si dati beneficii
 qualiscunque solutio est, accepti perennis confessio, non

ingratum me moriturum sanctissime polliceor. TE vero
 Magnifice Domine Consiliarie Aulice & Ecclesiasticae
 KECKI, Scholarum Marchicarum Ephore gravissime,
 denuo & seorsim hic compello; Tu non intra privatos mo-
 do parietes studia mea formas, Tu praesidium haecenus meum
 fuisti; sed admirabili quoque prudentia, & qua polles divina
 Tua & vastissima eruditione Gymnasio nostro praes, regis atq;
 moderaris. Tu ductu studiosa juvenus jam dudum pristi-
 num exuit veterum, atque ad similem Tui, id est, antiquam
 & solidam aspirat eruditionem. Debemus Tibi omnes Gym-
 nasii Professores atque Praeceptores & observantiam justissi-
 mam, & gratias, quas nunquam exsolvere possumus, immor-
 tales. Excellentissimis Professoribus, Clarissimis Praecepto-
 ribus, & omnem qua a Collega sperari unquam potest, pol-
 liceor benevolentiam, & pro virili cujusvis defendam contra
 refractarios dignitatem. Nostrum erit uno animo, pari dili-
 gentia & fide juvenus nostrae ruditatem expugnare, mores
 formare, atque ad bonam tandem frugem reducere. Agite
 ergo praestantissimi viri forti animo & prompta mente ea suscipi-
 amus, qua fortasse non hic mundus, sed divinum in caelis Nu-
 men uberrima mercede certissime pensabit. Vobis denique
 adolescentes, ut haecenus soleo, ita & in posterum, mea studia
 consecro. Novistis animum meum in Vos propensum: No-
 vistis mores, quibus inter licentiam & servitutem medios Vos
 ducere consuevi: manebit eadem semper mens, si vobis
 eadem manebit industria. Tandem ad TE redeo, Auguste
 PRINCEPS, ut clementiae Tuae in me benignitatem
 animo potius aestimem, quam proletario more verbis gratias
 agam. Si enim centum mihi linguas, ex veteri Poetarum
 voto, natura donavisset, nondum ego beneficii hujus magni-
 tudinem, quo me amplissime cumulasti, vel eloqui possem,
 vel complecti. Eo potius annitar, ut curae & industriae
 meae obstricta schola pro me gratias TIBI sit actura. TI-
 BI vero TER OPTIME, TER MAXIME DE-
 US,

US, quid referam? utinam animus beneficiorum tuorum magnitudinem satis capere, lingua decenti humilitate depraedicare posset! Tu me annis abhinc triginta, Fridbergæ Wetteraviorum, à probis parentibus in hanc lucem nasci, è sacro fonte sacratissimi Tui corporis membrum renasci voluisti: Tu extra patriam aberrantis studia fovisti: Tu laborum meorum in illustri hoc Gymnasio incrementa clementissimè mihi concessisti. Sed hic ad Majestatem Tuam animus stupet, mens torpet, lingua trepidat, & in vota tantùm abit. Serva DEUS Serenissimum Principem nostrum, columnen reipubl. Augustissimum, Ecclesiæ curatorem devotissimum, Gymnasii nutritium magnificentissimum. Fac ut quotidie nova Gymnasium sentiat incrementa. Mihi vires adde & animo robur, ut feliciter invidorum morsus effugiam, impedimenta Te duce omnia penetrem, atque vera cum eruditione pietas ad seram usque posteritatem ex hoc Gymnasio propagetur. Dixi.



In Orationem inauguralem

Excellentissimi, Clarissimique V I R I

DN. IO. GERH. ARNOLDI,

cum is Rectoratum Illustris Gymnasii Durlacensis
solenni ritu susciperet.

ROMA, lupæ catulis tenuem quæ debuit ortum,
Extendit vires, Regibus usâ, suas.
Alba parens sensit, domiti sensere Latini,
Quotque novo turmas opposuere gregi.
Inde domi mores Regum indignata superbos
Et furias patris, Sexte tyrannæ, tui,
Consulibus regimen pro libertate tuenda
Detulit, & fasces, cunctaque jura togæ.
Auspiciis horum vicinos fregit, & Orbem
Arma per attonitum sanguinolenta tulit.

E 3

Hinc

Hinc Asiæ gentes, hinc Græcia victa, feroxque
 Gallus, & occidui sideris hospes Iber.
 Æmula Romanos auxit Carthago triumphos,
 Totque catenati, fulmina Pœna, duces.
 Nec mora, post palmas, Orientis dona subacti,
 Dona sagittiferi fronde revincta Dei,
 Jura dedit populis gens omnibus una Quiritum,
 Nec potuit cives jure domare suos.
 Quid Syllam memorem, Catilinæque horrida bella?
 Destruit Aufonios hinc gener, inde locer.
 Præda fit interno, quam non capit exterus hostis:
 Hæc spolia, hanc laudem, victæ Triumvir, habes.
 Dum tandem Augusto sub Principis omnia CÆSAR
 Nomine complectens arma virosque regit.
 Ut quondam laceræ clavum ratis unus aquarum
 Fortior insultu turbinibusque capit:
 Spes sociis redit in pectus, tabulasque minata
 Machina cœruleum tuta pererrat iter.
 Sic tot ab horrificis Respublica fessa quietem
 Motibus, AUGUSTO restituyente, tenet.
 Huic refer acceptum, quod soli obnoxia cœlo
 Culminis effulges digna capaxque tui:
 Quod Dea terrarum, quodque urbs Æterna vocaris,
 ROMA, quod ingeniis imperioque viges:
 Quodque tuum est fari, dicendi, ARNOLDE, magister,
 Atticus è dulci cui fluit ore lepos,
 Ipsaque Romuleæ cui cedat gloria linguæ
 Tullius, AUGUSTI muneris omne fuit.
 Dî benè! quod PRINCEPS, laudati exempla secutus
 CÆSARIS, his terris MARCHIO præstat idem!
 Quem clemens animus, rigidum jus inter & æquum
 Aurea temperies, ingeniumque sagax;
 Bellica quem virtus, vasti quem corporis ornat
 Ardua majestas, & sacer oris honos,

Mem-

Membrorumque vigor, quis enim videt absque tremore
Fulmineos oculos, Herculeosque toros?
Ipsam Gradivi dicas incedere molem,
Quanta per Ismarias statque ruitque nives.
Quin, sua si sineret divum pater ora tueri,
Hoc jubar, hi vultus, conspicienda forent.
Artibus interea pacis, studioque benignus
Annuit Aonidum, Palladiisque sacris.
Æra mihi testes, sæcli monumenta vetusti,
Quosque legit, doctis scrinia fœta libris.
Hic sedet, ut Musas inter crinitus Apollo,
Et confanguineas instruit ore DEAS:
Quæ Charitum numero, formaque, & moribus adstant,
Dictaque, sed memori, PRINCIPIS aure bibunt.
Sæpe SIBYLLA suis Amittis ait: ægra licet sim
Corpore, subFRATRE hoc vita beata mea est.
Sæpe suæ sapiens ait ELISABETHA Sorori:
ANNA Soror, quantum nos juvat iste NEPOS!
ANNA (fatetur enim) pictrix vatesque merentis
Conficit in laudem docta NEPOTIS opus.
Hoc GNATI excipiunt GNATÆQUE, simillima stirpi
Germina, nec sceptris inficianda suis:
Et quod quisque bonis imitabitur, inde requirunt,
Moribus. hunc finem nobile carmen habet.
Tum verò vigili versat sub pectore curas
MARCHIO; quâ celsam muniat arte Domum?
Quod sit præsidium, quæ munimenta regendis
Imperiis, bello, pace, domi atque foris?
Nec modo militiam castris imponit, & arces
Aggere, & effossa mœnia vestit humo:
Sed disciplinas etiam restaurat, & artes
Legibus ingenuas subsidiisque juvat.
HocSCHOLA testatur, miseris erepta ruinis,
Et conquisitis amplificata viris.
Nobile DURLACUM FEDERICI à sede regentis
Incipit Aonidum non minor esse domus.

Hic

Hic patria in studiis, hic externa germina crescunt,
 Doctores numero, sed magis arte, valent.
 Inter eos, quantum præfulges ordine Rector,
 Tantum commissæ luminis adde SCHOLÆ.

*Adfiri & Fautori honorando
 gratulabundus pos.*

C. KECK, Consiliarius Durlaco-
 Marchicus.

אוגוסתוס קיסר גרול רומיים טופס
 לגברי חיל שכל וצדקה
 כובש את-כל עמי הארץ וחופש
 כל-חרדי העולם הזה בכונה
 הלך תמיד מגן למו תבונה אדם
 ומעקה צדק חכמות למוריות
 אהב באבתה נפשו ולא שתם
 מקור נפתח לרתות האלהיות
 אשרי הארץ אשר עליה שתו
 את-שר רורש צדק ובוקש נכחה
 ומרבה הונו כי צרים לה וחתו
 קשחותם כל- מזמת לביו נבוכה
 נתק ופשו בה ורבו חכמים
 וצלחו בה תורות האנושיות
 אשר לחוק עולם פקרו קיסרים
 במלכות רומיים וערות גלויות
 במקרא אל שרי לך-לך לעשות
 שם לשרנו ראש הישיבתנו
 ארנולרוס ואת- טוב שבח לאבות
 רבית בארץ לתפארת מדרשנו

*Honori & observantia novi Rectoris, Collegæ
 honoratiss. gratul. f.*

JO. FECHT, Th. Lic.

IN RECTORATVM

Excellentissimi VIRI JOH. GERHARDI ARNOLDI,

DVM Tibi traduntur fasces, Arnolde, Lycei,
 Quod PRINCEPS FRIDERICUS alit, Patriæ Pater, ecce
 Quam varias secum feret hoc munus Tibi curas.
 Scilicet est onus omnis honos: qui ferre recusat,
 Quod grave portatu est humeris, non dignus honore est.
 Ast Te commendat non experientia sola,
 Non solum ingenium felix; industria certe,
 Impiger atque labor Tibi conciliavit honorem
 Istum, Rectoris titulo Te insignit & ornat.
 Præficeris Phœbi laribus, letantur en ipsæ
 Pierides, gaudentque novo Rectore videri,
 Atque salutari: crescet Schola nostra subinde.
 Quis DURLACENSES tali Rectore Camœnas
 Non colet, aut pectus varia non imbuet arte?
 Nos Tibi Rectori ferimus solennia vota,
 Nos acclamamus veterum FELICITER istud,
 Nos multos annos, ac omnia fausta precamur.

Collega & affini
 accinit

JOH. SPECHT, Sereniss. Aulæ Caroloburg.
 Ecclesiast. Vicarius, & in illustr.
 Gymnas. SS. Theol. P.P.

* * * * *

SONNET.


QUand vous parlez, Monsieur, du bonheur de l' Empire
 D' AUGUSTE, le premier Monarque des Romains,
 L' origine des Rois, & de nos Souverains,
 En termes relevés, il faut que je soupire,
 D' estre si malheureux, que je ne puis escrire
 L' estime, que je fay de ces discours hautains,

F

N' ayant

N' ayant assez d' esprit, ny de cœur, ny de mains
 Pour tracer quelque vers, que tel œuvre desire.
 Mais je reprend mes sens dans la félicité
 De nostre temps, & dans la générosité,
 Jointe à la prudence, du PRINCE nostre Maître;
 Brave qu'il est, il donne aux Muses leur honneur,
 Et les fait à DOURLAC au plus haut point renaître.
 Vive donc! ce PRINCE, les MUSES, leur RECTEUR!

JO: MARTINUS ZANDT,
 Instit. Imper. Linguae Gallicae Pro-
 fessor, & Dicast. Carolob. Advoca-
 tus ordinarius.



Cogere vult sicco gelidam de pumice lympham,
 Carmina me quisquis scribere doctus jubet.
 Ne tamen obsequium videar, Collega! negare,
 De Reſtoratu paucula vota dabo:
 Aggredere oblatum felici fidere munus,
 Et perge, ARNOLDI RECTOR, amare Tuum.

Dav. Fleckhammerum,
 Phys. & Math. PP.



Continuis quamvis effusi nubibus imbres
 Et passim largæ præcipitentur aquæ,
 Vena (fatebor enim) tamen arida scribere carmen
 Te dignum, vatum iudicioque, negat.
 Poscit amicitiae sanctum & venerabile nomen,
 Apprecher auspiciis optima quæque tuis.

Of-

Officiū hoc pensent, Tibi quæ pia vota super sunt,
Adjuvet ô fungi munere JOVA Tuo!

Amicitia ergo gratulabundus adjecit

Ernestus Saur, *Philos.*

Pract. P. P.



AVGVSTE n'est pas mort, quoique sa chair enlose
Dedans un tombeau noir

Aux morrels fasse noir,

Qu'il faut, qu'ils souffrent routs cette Metarmorphose.

A son eternité en vain la Mort s'oppose,

FRIDERIC est son hoir,

Qui se peut prévaloir

De L'ame du CÆSAR par la Metempsychose.

Ce PRINCE, issu des Roys, estant brave guerrier,

N'aime pas moins les arts,

Que canons & petarts,

Pour se faire couronner d'un double laurier:

Temoin ARNOVLD, duquel la vertu & doctrine

Merite de regir des Muses l'Officine.

Pour tesmoigner à Monsieur le Recteur
que je suis son tres humble serviteur

GEDEON DVBOISDESCOVRTS FAVIERES.

* * * * *

Προσφώνησις

Ad Excellentissimum & Clarissimum

Dominum Johannem Gerhardum Arnoldum, Illustris
Gymna sij Rectorem, & Professore Publicum.

Πέννια, τῶν θνητῶν δῶρον κάλλισον ἀπάντων,

Εἰρήνη τίθει πολλά βροτοῖσι καλά;

F a

Εἰρή-

Ειρήνη ποιῆ ὡς μικρὰ τὰ κλήματα θάλλειν,
 Μακρὰ ἐλαττέσθαι, αἰτιὸν ἐστὶν ΑΡΙΣΤΟΝ.
 Ειρήνη τε καλῶς καὶν πέτραις θρέψα Γεωργόν
 θάλλει καὶ Μισσῶν τὸν θεράποντα λίην.
 Γυμνάσιον χ' ἡμῶν εὐπράττειν καὶ ἀναθάλλειν,
 Ειρήνη ἔργον σὸν βαδύπλευτε μόνον!
 Ὡσπερ παυσάμεν ὁ βασιλεὺς πολέμοιο Σεβασόσ,
 Ειρήνης ἦεν φίλτερον ἔδεν ἔχων
 Ἄρχον Γυμνατικῆς ἔτι καλλιῆς Συνεργίης!
 παιδείας νομίμη τῆς νεότητι ἔρας!
 Διὲν ἀριεὺσιν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων,
 πάντα λίθον κινεῖς, εὐφρονα θυμὸν ἔχων!
 Σφόδρα συνήδομένός σοι, ὄλβια πάντα, υἱεῖαν,
 πλέτον, καὶ σοφίην εὐχομαι, χαῖρε καλῶς!

Ευνοίας ἔνεκα συνήδετο

M. Johannes Nothnagel, in *Illustr. Gymn.*
Class. 2. Prae.



ARNOLDE, RECTOR optime, est tibi AUGUSTUS.
 Est & disertus, o diserte, Mecenas,
 Qui mox dabit patere PRINCIPIS tanti
 Aures & Aulam, & Aula quicquid Illustris
 Habet sacrum; Sanguis favebit HEROUM,
 Quos à Senatu Purpurato non pridem
 Numen reduxit sospites, decus magnum
 Germaniæ, Suique Marchionatûs:
 Hinc, hinc lubentius subire Rectoris
 Ausis labores, quos bono capessebas
 Nuperrimè fato (ratum velit Jova!)
 Inter probata gratulantium vota,
 Plebeculæque opinione majores.

Vires subinde muneri novas præfens
 Boni det illa Origo; Sic diu vivas,
 Quem Compatri, quem dulce nomen Affinis
 Salutat! Ignoscas, rogo, meus talo
 Si fortè, ut est, utroque claudicet SCAZON.

Excell. & Clariss. Dn. RECTORI, Fautori,
 Compatri, atque Affini, Observantiæ
 restandæ ergò accinit.

M. JOH. CAROLUS SCHÖTTEL. P. L. Cæs.
 III. Class. in Illustr. Gymn. Darl. Præc.

* * * * *

Ciceronis admirabilis facundia
 Incomparabilem Virum deprædicat,
 Et ad cacumen Illum honoris inclytum,
 Pro dignitate, Consulatus extulit;
 Acerrimos sed æmulos reliquerat,
 Antonium, Crassumque; profecutus est
 Quorum per eloquentiam vestigia,
 ARNOLDUS, Atticâ valens facundiâ,
 Quem singularis Principis Clementia
 Hujus sedere iussit ad clavum Scholæ:
 Cur in sinu non gaudeam, Fautor Bone,
 Lautam obtigisse sic Tibi Provinciam?
 Ter Optimus, Ter Maximus Munus novum
 Clementer in dies beet! fave tuo

Qui Observantiæ ergò
 gratulab. adjecit.

M. Pancratio Kellermanno
 Præc. IV. Class. & Cant.


F 3

Clare

CLare Vir, **ARNOLDI**, titulum Rectoris in urbe
Durlaco nuper Te obtinuisse iuvat.
Hic status ô cumulet, præfens quem dat tibi tempus,
Commoda mille Tibi, commoda mille Tuis.
Ter felix vigeas, sis Weiningerus & alter,
Sis, precor, & nostræ cura, medela, scholæ.

*Ita Excell. & Clariss. Dno. Rectori
applaudere voluit, debuit.*

Thom. Matth. Lindauer V. Class.
in Gymn. Durl. Præceptor.



V I R O

Excellentissimo, Amplissimo, Dno

JOANNI GERHARDO ARNOLDO

Illustris Gymnasii Durlacensis Rectori & Profess. Publ.

Spectatissimo, dignissimo,

*Dno. suo Compatri suavissimo, Fautori,
& amico æternim venerando.*

Augustè **AUGUSTI** depingis tempora, mores,
Augustè **AUGUSTI** Jura statuta doces.
TE DUCE, sim vates, floreant **PALLAS**, **APOLLO**,
TE DUCE certa salus, **TE DUCE** certus Amor.
Vota peroranti facio, das vota Lycæo,
AUGUSTÆA TIBI tempora, vota, precor.
Et meritò: meritis, factisque **AUGUSTÆA** mereris;
Qui nosti **AUGUSTI TOTUS** habere **MODOS**.

*Observantiæ majoris, honoris & amoris
ergò singularis gratulabundus
acclamat.*

FRANCISCUS SCHLECHT præc. VI. Class.

F I N I S.



QX 7, 456

kom

41



culenter ex
primæva ill
oculis nup
ubere reru
vistis. Au
gentissimu
AUGVST
Gymnasio
publici jur
fastigio VE
foetum; se
strorum civ
in exteras r
ad oras pa
universiqu
stissima qu
gurando, c
viffe, salt
pignora at
STR OS
NISSIMI
strem hanc
nignitate p
fissima reve

SERENISSI

M Æ,
menta,
atque
lustra
re ful
tissimo
nutu
QVE
ignum
ingenii
mini
minam
olumes
garum
& fau
tis au
exple
stituti
s V E
ERE
& illu
ili be
demis

oldus.

